



Joh. Frid. Jüttner.  
Halle 1850.

Af. 136

Gaffor

M. C. v. L

— OT

Zn Schaffer  
verle

29

DE  
MERITIS IVRECONSULTORVM IN CIVITATEM  
CHRISTIANAM ET LITTERARIAM

PAVCA DISSERIT

SIMVLQUE

VIRO CONSULTISSIMO

**HENRICO GUILIELMO  
HASPERG**

GRADVM DOCTORIS

EX ANIMO GRATVLATVR

IOANNES THEODORVS RUDOLPHVS CELLARIVS  
HELMAESTADIENSIS.

---

LITTERIS DRIMBORNIANIS.

6  
675

VIR PRAENOBISSIME, CONSULTISSIME,  
FAVTOR ET AMICE PAVCIS CARISSIME!

**B**ina potissimum sunt, quae iis obici solent, qui summorum imperantium leges, et iura societatum illustrant. Horum alterum religionem, alterum litterarum, quae ab humanitate nomen habent, scientiam concernit. Vtiusque defectus ipsis opprobrio datur. Pietas iuri peritorum uel vulgo adeo suspecta est, ut a longo iam tempore in prouerbium (a) abierit; eleganter uero litteras ab iis negligi potissimum eam ob rationem persualium est multis, quia quamplurimi in scriptis iuridicis occurruunt termini, quos technicos vulgo uocant, et quos frustra in autoribus classicis quaeres, quibus tamen, sicuti nulla scientia, ita et iurisprudentia carere non poterat. Si solummodo minus cultae dictio[n]is aut styli impurioris postularentur ICti, hanc ignoriam aequo tolerarent animo; Attamen cum neglecti ueri Numinis cultus, ac prauae animi conditionis adefensur a multis, hanc contumeliam ab hominibus amoliendam esse, qui suum cuique tribundum et Deo et hominibus pro prima ac praecipua norma agnoscunt, rei aquitatem postulare arbitror.

Obuiam eundum est iis, qui solos se pios iactitant, ceterosque despiciunt, et qui nihil, nisi quod ipsis faciunt, rectum putant. Delenda est macula, quam nobis inuulneri aequi iustique osores. Quoniam uero argumenta, quibus aduersarii nostri utuntur, mere historica sunt, ac unius, aut alterius facta supponunt, argumentis quoque ex historiarum monumentis in contrarium deponitis, ea optime dilui, ac refutari posse existimo. Hinc ut ii erubescant, qui talia proferunt, quantum pagellarum angullia permittet, ex fundamentis genuiniis historicis euincam, infucatam esse, semperque suisse Iureconfitorum pietatem, indefessumque litteras eleganter promouendi studium: maxima extare legis peritorum merita in rempublicam Seruatoris et litterarum: quid quod iurium Doctores praecipios ab omni aeuo suisse scientiarum et ueri cultus diuinii statores ac restauratores.

Si

(a) Juristen, böse Christen.

Si propositi scopus permitteret ad ista recurrere tempora , quae tenebris superstitionum adhuc inuoluta , nec dum salutari euangelii luce collustrata erant , nec in ipsis exempla deforent illustrium iuris peritorum , qui tam religionem , cultumque Deorum , quam elegantes litteras , artesque liberales curae cordique habuerunt . Ut tamen aduersarii nostris innoscat , antiquissimis iam temporibus ICtos et pietate et eruditione spectatissimos haud defuisse , imo gentilium iuris peritos ecclesiam Iesu Christi propugnasse et stabiliuisse , (quod de theologis ethniciis nemo adfirmare audebit ) unum alterumue exemplum producam , quae hanc rem abunde comprobent .

Primum eorum equidem mihi suppeditat inclusus ille reipublicae romanae Consul , ICtusque summus M. T. Cicero . Quam probus hic vir in superos , quos patro more colebat , quam fidus in familiam , quam pius denique in ciuitatem , populumque fuerit , ex nunquam intermorituis eius monumentis litterariis , ii , qui rem forsitan ignorant , petere possunt . At nonne idem hic **TULLIUS** et nostris adhuc temporibus pro elegantioris litteraturae parente habetur , et seris posteris forte habebitur ; cuius dictione nonnulli adeo effascinati fuerint , ut *malle se cum Cicervone loqui , quam Pontificem esse romanum ingenue professi sint* ; (a) aliisque infano ac impio furore rapti maius opprobrium non Ciceronianum , quam non Christianum esse habuerint . (b) Succedat huic ex antiquitate Philosophus ac ICtus percelebris **PLINIUS** cognomine secundus ; qui ab ineunte aetate tanto elegantiorum litterarum amore flagravit , in ipsisque profecit , ut iam decimo quarto aetatis anno tragoediā , quae omnium plausu excipiebatur , conficerat : imo publico iam numeri praefectus apud Senatum romanum conquestus est , quod ab eo impeditrebat **EUPHRATEM** Philosophum audire . Quae quantum etiam de insigni et admiranda in humaniores disciplinas propensione testimoniūm praebant , altera tamen ex parte huius viri exemplum multo adhuc notatus dignius exigit . De pietate quidem eius et cultu Numinum fictiorum religioso nil in praefecti adiinet dicere , sed hoc tantum monendum : huius viri quamvis ethniī maxima supererat in ciuitatem christianam merita ; postquam enim Consul factus et in Bythiniam mis-

(a) Fecit id **Lazarus Bonamicus** Italus . Praeterea huc referendi , **Petr. Bembus** , **Iac. Sadoletus** , **Paul. Manutius** , *Chrysostomus Longolivus* , **Marius Nizolius** , aliique , quos recenset **Dan. Frid. Ianus** in *Diss. de nimio latinitatis studio* . Vitemberg . 1720 .

(b) **Conf. cit. Diff. it. I. F. Buddei Iagoz. histor. theolog.** p. 223 .

fus fuerat, memorabilem hic loci epistolam : *de Christianis falso accusatis*, ad Imperatorem Traianum scripsit. (a)

Satis hinc elucescere credo, iis, qui inter paganos iura custodierunt, nec pietatem, nec eruditio nem, quam pulcrum vocant, illa ratione derogari posse. Ne uero angustiores epistolae limites transgredi necessum sit, ex aeuo christiano puriore, par itidem tantum illustrium ICtorum inducam, qui et in re litteraria, et in doctrina christiana maxime inclinarerunt.

Horum alter gente Afer, nomine **TERTULLIANVS** magno ferore dogmata Seruatoris puriora tam aduersus gentiles, quam eos, qui haeresibus ciuitatem christianam turbarunt, propugnauit. Prioris plura extant documenta, *apologeticus* scilicet eius, (b) *liber ad Scapulam*, (c) et duo libri ad nationes, posterior liber eius de *praescriptionibus aduersus haereticos*, quo prauos eiusmodi homines ex fundamentis iuridicis oppugnauit, luculentissime testatur. Quae scripta omnia tot quoque eruditio nis fuaudicis praebent testimonia. Nec hoc loco reticendum mihi uidetur, merita Tertulliani in rem litterariam et doctrinam christianam per ICtum recentiorem orbi eruditio innotuisse. Fuit enim **JACOBVS GODOFREDVS** magni nominis ICtus, qui ex squalore schendas eius collegit, vindicauit, et ante septuaginta demum et aliquot annos publici iuriis fecit.

Alter ex hac classe cauillarum apud Romanos egit Patronum **MINTIVS FELIX**. Hic quidem mole paruum, at momenti maximum fibellum euulgauit, qui disputationem cum pagano quadam *Ostianiano* continet. Res eo redit. Vterque pro sua certat religione, tandem uero gentilis coniunctus ad castra Christianorum transiit. Hic effectus quemadmodum de neruosa probandi ratione **MINTVII** testatur ; ita dictio eius adeo pura, et elegans uisa est multis, ut iuuentu eam pro morina loquendi inferuire posse crederint. (d)

Sufficient haec ad demonstrandum, ueritatem doctrinae coelestis et in animis iuris peritorum altas admodum egisse radices, istosque non tantum

---

(a) Vid. **S T O L L I** Historie der Gelahrtheit, p. m. 176. seqq.

(b) Edidit illum **Sigeb. HAVERKAMPIVS**, et amplissimo commentario il- lustrauit.

(c) Qui a **B. HINCKELMANNO** germanice uersus, et saepius pro concio ne recitatus.

(d) Hinc variae **CELLARII** editiones multis scholis in usu sunt.

tantum leges humanas, sed et iura Seruatoris diuina maximo seruore  
propugnasse, regnumque Sospitatoris amplificasse.

Breuitati studiosissimus illa studio praetermitto tempora, quibus  
barbaries et caligo omnem eruditionem, tam sacram, quam profanam  
obscurarunt, et quibus uera pietas et religio nec apud eos inueniebatur,  
qui voluntatis diuinae interpretes uideri cupiebant: licet haud difficile  
foret, ex ipsis tenebris ICtos in lucem protrahere, qui et eruditione et  
probitate ipsos Mystras superarunt. Ad salutiferam me potius conuerto  
periodum, quae et eruditionem, et cultum diuinum ab errore ac sordibus  
repurgauit. Quis queso iis, qui arduum reformationis opus adgressi  
sunt, faciem praeputi, et quis humaniores litteras seu uerum fundamen-  
tum sanac diuinarum litterarum interpretationis in lucem produxit? Nonne fuit ICtus 10. REVCHLINVS, qui ob eruditonis et litteratura  
imprimis orientalis notitiam magnam nominis sui famam consequutus  
est. Quanta huius uiri sint merita in rem christianam, ac theologiam  
puriorem, item in disciplinas elegantiores et praefertim lingua, qua  
Deo cum hominibus loqui placuit, uarii explicarunt, et encomiis cele-  
brarunt aeuī nostri scriptores. (a) Si id unice egisset, ut scripta talmu-  
dica Vulcano iam destinata contra aduersarium acerrimum (b) confer-  
uasset, cedro ob hanc rem solam dignus foret; scripta enim ista, licet  
errorum sint plenisima, insignent tamen sanctioribus litteris eruendis  
ad sufficiunt lucem. (c) Quod nero non tantum in amoenioribus disci-  
plinis, sed et sacram doctrinam exponendi studio uerius fuerit, praec-  
pta eius homiletica, quae superfunt, abunde docent, quae, licet bre-  
uissime sunt, attamen de scientia autoris sacra, et puriore eius gusto  
testantur.

Recentiora si considero Iustra, tantus se offert piorum et eruditorum  
ICtorum numerus, ut, quem primo loco nominem, dubius sane  
haerem. Quis B. IOBVM LVDOLFVM ignorat, qui uiginti quinque  
supra vernaculaum exoticas exacte calluit linguas, qui tanta studii  
historici dulcedine captus erat, ut grauiissimi negotiis impeditum colle-

(a) Praecipue Vener. Acad. Iul. Senior Dn. Praeposit. von der HARDT ua-  
riis in scriptis

(b) Erat hic Io. PFEFFERKORN ex Iudeo Christianus, qui forte odio  
aduersus gentem derelictam apud MAXIMIL. I. sollicitauerat, ut omnes  
Iudeorum libri, praeter biblica abolerentur. Conf. SLEIDANI stat. rel.  
et reip. sub Carol. V. Lib. II.

(c) Patet hoc ex Lightfooti et Schoetgenii horis hebraicis, et talmudicis, in N. T.

gio imperiali historico, quod sub finem Saeculi XVII. erigebatur, se  
praefici pateretur, quiq; ob praeclaram eruditionem, candorem et iti-  
nera multis S. R. I. Electoribus et Principibus in deliciis fuit. (a) Quem  
B. HERMANVS CONRINGIUS noster fugit, qui iurisprudentiae  
reliquas omnes scientias, diuinas ac humanas felicissimo connubio iunxit.  
Quid erudita ciuitas, imo et religio illustribus Lipsiae MENCKENIS de-  
beat, neminem latet. Quantum statorem et religio et elegantior lite-  
ratura in IO. BARBEYRACIO iurium in academia Groeningensi Pro-  
fessore colat, nullo nisi in historia eruditorum prorsus hospiti ignotum  
esse potest.

Sed quid aliena et diffusa iuris consultorum exempla conquiro ?  
quum ob oculos nobis quotidie uersentur Viri, qui sanctiorem doctrinam  
et litteras suauiores ore, scriptique fulciunt, atque confirmant. Inter  
tot alias summorum ICtorum labores, qui luc spectant, praecepit Illu-  
stris PRAESIDIS Tui, Patroni per omnem uitam non satis deuenerandi,  
merita in ciuitatem christianam et litteratorum adeo conspicua sunt,  
ut omnium fere ex antiquitate ICtorum studia superent. Quanta dexte-  
ritate et prudentia fata ecclie inquirat, et iura ipsi, eiusque ministris  
competentia illusret, ex tot monumentis patet, quae et solida et eleganti  
eruditione refertissima sunt.

His, quae breuissime pro causa nostra adduximus, facile aduersarii  
nostrri conuincetur, multa imo quam plurima beneficia tam in rempu-  
blicam Seruatoris, quam eruditorum ICtos ab omni tempore contulisse,  
et adhuc dum conferre. Non caeteroquin nego, ICtum quandoque  
unum alterumque haereseos ac errorum in fide, imo uita et moribus accus-  
atum esse. Noui Michaelem SERVETVM Hispanum studiis iuridicis  
innutritum ante bina fere saecula ob detestandam in articulo de trinitatis  
facro sanctae mysterio haeretin uiuicomburio adfachum fuisse. (b) Legi  
querelas ipsius caesiarum patroni Neapolitani contra alios sui generis  
homines ante paucos annos motas, quas ob uenustatem non possum non  
huc transcribere : (c)

Nunc uenio ad quosdam iuuenes, hi ostendere sese

Pulchros et plenos nobilitatis amant.

Hos

(a) Vid. *Christ. IVNKERI* Commentar. de uita *Iohi LVDOLEI*. Lips. 1710. 8.

(b) Vid. *Rich. SIMON*. Bibliotheca critique Chapit. 3.

(c) *Exst. Ios. Ausr. de IANVARIQ in Republica ICtorum*, Neapol. 1731. 4. e-  
dit. p. 33.

Hos ne tange, caue multo sine honore salutes,  
Quodue roges, humili non sine uoce roga.  
Picta uelut minio illorum resplendet imago,  
Atque uiri formae plus muliebris habent.  
Omne locant studium, quo belle incedere possint,  
Brachia, crura, pedes, os, caput arte mouent.  
Albescit niuco mendax come puluere sparsa,  
Emicat' alterno barba recisa die.  
Vefsis it ex humeris formas imitata recentes,  
Siue o Galle tuas, siue Britanne tuas,  
Pileus haud geritur, ni longo aduetus ab orbe,  
Et mi forte nouo more reuinctus eat.  
Quaeruntur misa a Batavis subtegmina lini,  
Gemmato digitos annulus orbe premit.  
Et crepida est sua cura, manu quae suta sagaci,  
Ne quae pella super ruga sit ulla uetat.  
Machina distinguis animatis motibus horas  
Praefusa est, ut quotanam lapsa sit hora sciant.  
Ne desit naflo contriti pulueris usus,  
Hunc ex argento capsula parua gerit,  
Capsula, quae nimio sit reddita punice laevis,  
Cui duictum ex omni sit bene parte latus;  
Vel testudineo quae sit de cortice facta,  
Et nitet argenti defuper aucta notis.  
Ah mifera, ali quanto pacis te errore, inuentus!  
Respuuit has ueneres, blanditiasque forum.  
Aspice maiorum uestigia, dic, ubi luxus,  
Dic, ubi femineus tantus in ore lepor.  
Ludimus? anne foro traictamus feria? Nilne  
Discrepat a scenis curia, iura iocis? etc.


Nimis uero rigorofum hunc esse cenforem, aequus rerum arbiter facile  
perspicit, Chrysostomo patri Ecclesiae comparandum, qui magno zelo  
contra crines hanc refecos, et fulcimenta calceorum nimis longa tan-  
quam aeternae salutis impedimenta pro concione egit. Nec mirum  
Ictum haereticis adcefisse, quin inter ipsos coetus christiani antisitites  
magno numero occurrant, qui errores pernicioſſimos in rebus fidei  
propagarunt.

Accipit

Accipe igitur, **VIR CONSULTISSIME**, quae pro amicitiae et officii ratione de materia in maius volumen referuanda, fugitivo calamo deproperau. Multa superfunt, quae hic locum habere poscent, si temporis, follique ratio adponere permetterent. Facile pro **TVO**, quo polles, iudicio auguraberis, quem scopum mihi hac scriptione praefixerim. Ab iis enim annis, quibus **TE** studiis mancipasti, iisque praeferint, quibus iura societatum humanarum tuerunt, non tantum eo adnifus es, ut ipsam solum legum scientiam animo complecteris, sed viam ad hoc sublime studium solidis sternendam fundamentis, elegantioresque litteras praemittendas esse, una cum uerae sapientiae, quam philosophiam vulgo vocant, doctrina, facile intellexisti, nec sufficere credidisti, **ICtum**, sed pium ac sobrium euasif **ICtum**. Elegisti hinc **TIBI** semper tam in academia Salana, quam nostra alma Iulia eiusmodi Viros doctores, qui uerae eruditiois ac probitatis splendore conficiui fuerunt.

Addigisti metam. Praemium reportas scientiae solidae, ac uirtutis debitum. Gratulor **TIBI** ex animo hos consequitos honores, utque non tantum **TIBI**, sed et ipsi legum doctrinae fausti, ac felices sint, ingenio uoneo. Iter, quod in exteris regiones paras, ut **TIBI** auspicias. Finum sit, et ut collecto ubique terrarum antiquo solidae eruditiois thesauro saluus ac incolunis tandem ad patrios lares, una cum fratre meo carissimo, quem **TIBI** comitem itineris delegisti, reuertaris ex opto. Ego **TE** saltem uotis ac suspiris pro **TVA** salute ubiuis comitabor. Nec **TE** quandoque, ubi terrarum denique degas, momentum recordationi amicitiae inter nos cultas denegatur fore spero ac confido. Vale. Dabam e museo HelmaestadI ad d.**XVIII Mart.**

A. R. S. cl*I*CCXLV.



AB 153 258

ULB Halle

003 137 260


3



56.

12





29

DE  
MERITIS IVRECONSULTORVM IN CIVITATEM  
CHRISTIANAM ET LITTERARIAM  
PAVCA DISSERIT  
SIMVLQVE  
VIRO CONSULTISSIMO  
**HENRICO GVILIELMO  
HASPERG**  
GRADVM DOCTORIS  
EX ANIMO GRATVLATVR  
IOANNES THEODORVS RUDOLPHVS CELLARIVS  
HELMESTADIENSIS.  
LITTERIS DRIMBORNIANIS.

676